

### III.

# NEOVIDENSIS.

Nro 2. (*Neovidensis Nro 25.*)

---

Ex Averno ad superas Auras

submitsum

## COLLOQUIUM POLITICUM.

---

Elysium — Meum. — Die Veneris 6. Aprilis 1804.

---

Sceptica gens dubitat, dubiorum Sceptisa gens est  
Fons, & origo mali, hæc est modo Sceptica gens.  
Sceptica gens, quod erat certum, verumque reverti;  
An sit, vel non sit, Sceptica gens dubitat.  
Sic satagunt omnes nostri dubitare Sophistæ;  
His quod nomen erit? Nonne *Cacadubio*?

### DIALOGUS

*Leibnicium inter et Kantium.*

*Leibnicus.*

**N**isi fallor, occurrentem mihi conspicio spiritum Magni Kantii.

*Kantius.* Plane non erras, sum, quem nominasti, sed quod tibi nomen, immortalis!

*Leibnicus.* Me etiam Germania genuit, vocor Leibnicus.

*Kantius.* Quam insperata felicitas — in primo meo ad Campos Elysios ingressu cum primo Germaniæ viro, imo cum celeberrimo Orbis universi Doctore conveniendi.

*Leibnicus.* Paulo ante intellexeram, te superius doctis tuis operibus coronidem imposuisse, eapropter properavi, ut te primum amplecterer, deinde toti Philosophorum cœtui exhiberem, ac denique in templum Philosophiæ sacratum cum omni, qua par est, magnificentia introducerem.

*Kantius.* Te Duce, nullus dubito, perhūmaniter accipiar.

*Leibnicus.* Apud Superos tu nullo Duce egueris, relictis enim omnibus veterum Philosophorum placitis, viam, quam solus teneres, delegisti.

*Kantius.* Virorum maxime! majorem in modum te rogo, obtestorque, noli me numero scepticorum adscribere.

*Leibnicus.* Eccur, quæso, isthoc tantopere reformidas?

*Kantius.* Nunquam mihi mens ea erat, ut veritates in Metaphysica tradi solitas in dubium vocarem; id unum contendebam, ut

demonstrarem, eas non posse evidentè probari.

*Leibnicius.* Rem mihi gratissimam præstabis, si tui Systematis Synopsis mecum communicaveris.

*Kantius.* Lubentissime, quod petis, faciam, proponam tibi mearum investigationum, studiorumque compendium, quin adhibeam terminos Philosophicos mihi soli proprios. Principia metaphysica, quæ usque ad ætatem meam docebantur, comperi non sufficere ad eruendam veritatem. Inventio eorum referenda est in acceptis, ut puto, sic dictis Scholasticis, quibus licet sublatis, plurima tamen supererant nonnisi in aliam formam consarcinata. Termini technici Metaphysicorum consistebant in verbis, quæ partim ita obscura erant, ut eguerint Oedipo conjectore, partim, quia plurium hominum capita fatigabant, diversis explicabantur Definitionibus. Usitatas hæcenus demonstrationes pro rei gravitate diligenter excussi, sed ubique oborta sunt mihi dubia, ut in quolibet gressu spiritus meus titubaret. Quapropter oblatam arripui occasionem, omnia metaphysica principia secundum verum eorum valorem examinandi; ostendi nullam iis inesse vim ve-

ritatem comprobandi, & hac de causa ea refutare omni ope enitebar.

*Leibnicius.* Profecto magnum, & periculi plenum opus.

*Kantius.* Vix operi manum admovi, accusabar undique de violata Religione, de Atheismo. Obruerunt me veteres, & recentiores Philosophi gravissimis exprobrationibus, quod recepta hucusque principia, & veritates everterem, & prosternerem.

*Leibnicius.* Nec immerito, si nihil melius, certiusque in illorum locum suffecisti.

*Kantius.* Omnes itaque vociferationes declinaturus in intima Metaphysicæ penetralia ingressus sum. Statui limites, quam procul possit humanus intellectus intendi, apertissimeque demonstravi, illos omni mortali esse insuperabiles. Quod quidem hoc attinet, ego forte primus gloriari possum, qui istam ideam mente complexus sim; Erat vero hoc summe necessarium, nam mens nullis restricta limitibus ad majorem semper, & majorem, & fere infinitam tendere conatur rerum cognitionem.

*Leibnicius.* Hæc cogitatio certe novitatem redolet, si etenim ejusmodi limes, quem nulli mortalium transgredi licet, solidis du-

catur argumentis, necesse est menti velut in excelso quodam loco subsistere, eaque duntaxat, quæ infra se sunt, contemplari.

*Kantius.* Ad hoc efficiendum necessarium mihi erat nova verba, novos terminos invenire, accuratisque definitionibus explanare, atque novum idioma metaphysicum inducere. Porro, cum propugnaverim tradita hactenus principia non sufficere ad eruendam veritatem; illa quoque nova erant procudenda.

*Leibnicius.* Hoc profecto non arriserit antiquis Metaphysicæ Magistris.

*Kantius.* Iniquissimam illi meæ Philosophiæ conflaverunt invidiam, exponebant eam, quin intelligerent, tanquam periculosam, multæ mihi propterea accusationes immeritæ, quasi ego Religionem, & bonos mores intendissem subruere, sustinendæ erant. Discipuli mei me defendebant. Quamvis autem multi etiam eruditi viri, & Scientiarum Doctores suis elucubrationibus me impeterent, salvus tamen permansit honor meus, crescente in dies numero Auditorum, qui ab exteris quoque Provinciis copiosi confluerunt.

*Leibnicius.* Sed tu ipse præbusti ansam talia de te suspicandi.

*Kantius.* — Inimici mei clamoribus in;

conditis omnia compleverunt nolentes præstolari finem novæ meæ doctrinæ. Ego sim Religionis, & honorum morum contemtor! Ego perniciosam tradam principia: Ego Deum negem! Ego religiosas opiniones convellam! O quoties ista mihi turpiter objecta exsorbenda erant. — Postquam ergo vigentium usque ad mea tempora argumentationum vim fregissem, exhibui orbi universo a me inventas: Evici existentiam Dei, necessitatem Religionis, aliasque metaphysicas veritates secundum mea nova principia: Sensus moralis suppeditavit mihi longe pulchriora, certioraque argumenta, quam omnes priores Metaphysicorum argutiæ. Convici omnes, & meæ argumentationes prius voluntatem, quam intellectum affecerunt. Videntes ista adversarii, stupuerunt, agnoveruntque & injuriam mihi fuisse illatam, & diu ignoravisse, quoniam eos deducturus essem.

*Leibnicus.* Nunc ergo nova tua docendi methodus ubique Gentium reliquis palmam præripiet.

*Kantius.* Hoc honore, Magne Leibnici! tu solus es dignus. Isthæc Prærogativa — Docere Nationes, — Regere doctis Principiis cul-

tior  
dem  
sed  
tion  
que  
onal  
Ger  
Imp  
vari  
part  
tua  
seri  
præ  
onal  
Spir  
ead  
pro  
med  
lia u  
notu  
sign  
plat  
mo  
Nos  
nem  
enn  
huc  
tion

tiorem Orbem — tibi uni relicta est. Mea quidem Philosophia etiam ad Gallias penetravit, sed quantum mihi constat, magnam approbationem non reportavit. Nec in Germania ubique recepta est, atque ibi plus in Septentrionali, quam meridionali parte. Generatim Germanica nostra patria in diversa dividitur Imperia, & quod inde prono fluit alveo, in varias quoque opiniones, quisque magnam partem earundem infert Philosophiæ. Pace tua adnotabo hic observationem nostri Moseri: Quo pacto absque Metropoli, quam præcipui nationis incolunt viri, existet nationale theatrum? Quomodo absque nationali Spiritu consensus communis omnium, aut una eademque Philosophia? Unam toti nationi propriam imprecandi formulam adducere in medium non valemus, quælibet provincia alia usurpat maledicta. In Gallia, & Anglia notum est in omnibus Regni partibus, quid significant singulæ execrationes; Parisinas plateas, pontes, & domos correctorias ita nemo ignorat, quemadmodum vulpem in fabula. Nos ad summum unum nationalem Histrionem possumus in teatro producere, nec Vienna, nec Berolinum, nec Lipsia potuit adhuc suum vivendi modum toti obtrudere nationi.

---

In eadem hac Officina, Belnayanâ sequen-  
tes quoque libri prostrant :

Seneca Christianus, id est, Flores Christiani ex L.  
Annæi Senecæ Epistolis collecti, & in XXXVIII  
Capita digesti. Accedit Parænesis ad Nobiles  
Juvenes ex Ephebis egressos. 8. maj. 20 xr. in  
charta scriptoria 30 xr. in charta Anglicana Velin  
(unicum exemplar impressum est) 2 fl.

Jantin & Montigny. Conte Moral. Par  
l'auteur du Sudmer, à Presbourg, & se  
trouve à Paris 1804. 8. 1 fl.

Hymnus an Pallas - Athene. Von Carl Anton  
v. Gruber. 8. 45 kr. auf englischem Velinpapier  
1 fl. 30 kr.

Geographie und Geschichte des Königreichs Ungern,  
8. 24 fr.

Die heilige Familie, oder die Geschichte des Tobias;  
allen christlichen Haushaltungen zum Muster vor-  
gestellt. 8. 45 fr.

Versuch über die beste Art die Jugend in den Wahr-  
heiten der Religion zu unterweisen. Aus den hin-  
terlassenen Schriften des sel. Abtes von Sagan,  
und Domprobstes zu Preßburg, Ign. v. Selt-  
ger. 8. 8 fr.

Wieland, Wintermärchen. 12. 12 fr.

Wieland, Teli Rege. 8. 20 kr.

Das neue Theater der Deutschen, eine lustige Ko-  
mödie. 8. geb. 20 fr.

Nitsch, Gedichte. 2 Theile. 12. 1 fl. 30 fr.

Moralische Versuche an junge verheirathete Frauen-  
zimmer, von Mrs. Griffith. 8. 1804. 12 fr.